

206

204

210

200

215

195

255

155

305

105

Ende

Anfang

191

eius bibere. Praefatus autem mendax Mamalucus, qui nova illa in galēa divulgaverat, sedit in castello cum patrono et aliis, et contra legem Machometi sui bibit vinum, et ineptius fuit, ita quod de galēa in barcam descendere nequaquam poterat propter vertiginem, et ita in galēa nobiscum pernoscavit illa bestia maledicta.

Quarta die cum sol oriretur, nescio ex qua dispositione aëris, aquae vel elementorum accidit, quod pisces maris supernatabant, et se plus solito ostendebant in superficie maris. Et ibi vidimus mirabiles pisces. Quidam erant magni et totaliter rotundi sicut vannus. Quidam habebant capita canina cum auribus longis dependentibus, et delphinos multos vidimus illo mane, et magis manifeste quam prius. Porro post prandium vidimus exercitum armatorum Sarracenorum venientem in equis et mulis, qui in litore et circa turres Joppen et in monte fixerunt tentoria et exercentur tabernacula contra nos. Hoc cum vidissent patroni, navigaverunt ad eos, putantes advenisse praefectos et dominos: sed non erant nisi servi praemissi ad loci præparationem, et in crastinum venturi erant domini Mauri. Toto ergo die illo concurrebant ex adverso in litore, et sedentes in mulis faciebant inter se jocosas congressiones ac si bellare vellent. Vidimus etiam cavernas et speluncas super litus maris in clivo montis, ad quas intrudendi eramus, et Sarracenos vidimus toto illo die ingredi et egredi continue, et mirabamur, quid facerent in obscuris hospitiis nostris. Sed quid egerint in speluncis nec suspicari quidem poteramus, donec cum molestia narium experti sumus: faedaverunt enim locua urina et stercoribus, ut patebit.

Quinta die mane confluxit magna armatorum multitudo, ut operiretur superficies terrae, et mirabantur patroni et omnes galéotae et marinarii, quid sibi vellet tanta multitudo populi, et conturbabantur, quia nunquam cum tanta potentia prius eos viderant (**74 A**) venire, et timebant quod malum aliquod esset nobis paratum. Tres enim potentes capitanei praefecti cum suis armatis personaliter aderant: scilicet: praefectus de Jerusalem, et praefectus Gazarae, et praefectus de Rama. Ad hos navigaverunt patroni cum suis munieribus, quibus eos in eorum affectionem flectere conabantur, eisque salutationem

